

Nf. 24.




PROGRAMMA. METRICUM,

QVO

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ

PRO-RECTOR,

D. IO. PETRUS

udemig /

SERENISS. BORUSSIÆ REGIS CONSILIAR. REGIM. ET AUL.
NEC NON JURIS AC HISTOR. PROFESS. ORDIN. UTI ET TA-
BULARII DUC. MAGDEB. PRÆFECTUS,

UNA CUM PROFESSORIBUS RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS

AD CHRISTI E MORTE RESUSCITATI MEMO-
RIAM SANCTE RECOLENDAM
AMICISSIME COHORTATUR.

th.

HALÆ MAGDEBURGICÆ.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.





Lætitia, zephyris rursus perflantibus, arva
Dant operam, mordax quæ laceravit hiems.
Ipse dicam gelidis scribit torporibus ather,
Qui passim nitidi veris amore calet.
Jamque moraturis nostras superinduit axes
Sol facibus, retinet longior hora diem.
Quicquid ver placidis ambit genitale lacertis,
A facie nubem deposuisse jubet.
Attamen haud zephyri, non arva comata, nec ather,
Pabula lætitiæ deliciosa darent:
Hoc nisi fertilior latandi copia vere
Afflueret, fibris insinuata piis.
Festa triumphantis redeunt solennia CHRISTI:
Hæc recreare animos mentio lata potest.
Qui fuit obscura telluris conditus alvo,
Claustra tenebrosi perterebravit agri.
Reddidit ornatum formæ, legemque capillis,
Et flammæ oculis, deliciasque genis.
Surrexit: mortem, cacodæmona, tartara, vicit
Hostiles domuit, garrula sinistra, minas.
Jam caput obstipum draco post sua reflectit,
Atque stupet pharetræ nomen inane suæ.
Non vis, nec mordax superest fallacia telis:
Si vibrare velit spicula, retusa videt.
Victor victorem supplantat strage cruenta:
Quique sedebat eques, cogitur ire pedes.

Victor

Victor hic infidias plane exanimavit averni:
 Ut solet unda avidas exanimare faces.
 Hac igitur Christi victoria tanta meretur,
 Ut pressis oculis inspiciamus eam.
 Ipsa probe trutinata, amplæ sine fœnore messis,
 Pectora scrutantum non abiisse sinet.
 SURREXIT CHRISTUS. Sed QVONAM TEMPORE? *tri-*
Temporis intuitus, quod meditemur, habet. [*plex*]
 Auferrî cœlum lugubribus ante tenebris,
 Terra videbatur cedere quassa loco.
 Et cruce suffixus, morituro sole, Redemptor,
 Vitalis succi, morte fatiscit, inops.
 At dum sol rutilo terras augustior ore
 Adspicit, en Christo florida forma redit.
 Sic illis, qui peccati de nocte refurgunt,
 Christus justitiæ phosphorus almus erit.
Tertia lux patulas solari lampade terras
 Invisit: liçto Christus ovavit agro.
 Tertia post miseram, non prima, nec altera, mortem
 Affecit vivo membra calore dies.
 Hac Amithaidæ debetur imago prophetæ:
 Quem sæpe inculcat pagina sacra typum.
 Huic etenim rapidæ submerso fluctibus undæ,
 Qui daret amplexus, squammiger hospes erat.
 Carcere, tres soles hic sensit obire, ferino:
 Totque tuas sensit, pallida luna, faces.
 Hospitii pertaxâ sacrum dum bellua vatem.
 Ad littus, ructu parturiente, vomit.
 Sic tribus incluso telluris ventre diebus,
 Ultra non potuit mors gravis esse Deo.
Prima dies refluxo nascentis cardine surgit
 Hebdomados, nobis non sine mente micans.



Hæc est prima dies, primorum conscia rerum:
 Ex hoc mundus habet lumine, quicquid habet.
 Prima dies, a qua sua lux primordia ducit:
 Dum sibi non constans horruit ante chaos.
 Hospitium tetris hac luce renuntiat umbris
 Christus, & Augusto pallor ab ore fugit.
 Codice qui sacro *lux clara* fidelibus audit,
 In mentem lucis semina prima jacit.
 Hic erat ille dies, fibras seculpendus in imas,
 Israeliticis gloria prima focis.
 Quamprimum, campis flamenti veste recinctis,
 Excuteret primas falx animosa minas.
 Non cito spicarum sub pondere plaustra gemebant:
 Progenies messis prima sacra deo.
 Sectiva densare nefas fuit horrea messe,
 Ni prius ad Dominum spicicus offer honor.
 Inde sepulcorum Christus quoque sapius audit
Primitie: Paulo perplacet ille stilus.
 Nos quoque *primitie*, Christo præeunte, vocamur:
 Spiritus in nostro pectore sanctus agit.
 Ut restaurata purgemus imagine pectus:
 Ut cuivis redeat, quod fuit ante suum.
 Quam non composuit nascens ecclesia vultum!
Hæc si prima dies exoriunda fuit.
 Lux ea primigenæ fuit acceptissima genti;
 Cum vellent certo membra coire loco.
 Hinc, cœlestis piis oppugnatura tribunal
 Vocibus, hoc cœtus instituere die.
 Jam præfocatur synagoga spiritus agræ:
 Sabbata principio sunt celebrata novo.
 Ne tanto Christi feris alimenta triumpho
 Deficerent seclis, cavit amica cohors.

Hæc

Hæc sunt nostrorum vestigia sobria Patrum:
 Hac coluere suum simplicitate Deum.
 Nos sequior proles Christo fundamur eodem:
 Cum Patribus ritum, nomen habemus idem.
 Si iuvat exemplis majorum sanctius uti,
 Illorum nervus dispiciendus erit.
 Quid sunt externi, sunt vana crepundia, ritus,
 Quatenus interna nobilitate carent.
 Sic opus, interno celebremus sabbata cultu,
 Ut nostros pura mente sequamur avos.
SURREXIT CHRISTUS. Sed QVA RATIONE? stupenda
 Corticibus res est enucleanda suis.
 Si tria præcipue momenta rependimus, ipse
 Clarior evadet, sole nitente, **MODUS.**
 Austera nulli reditus ex rupe dabantur:
 Concretum robur plus adamante fuit.
 Per se muniti firmabant ora sepulcri,
 Et lapis est aliquas iussus habere notas.
 Ne manus impressum veniat fractura sigillum,
 Custodum circum turba sagata stetit.
 At nil custodes, nil saxa, sigilla moratus
 Perrumpit, nullo percipiente, petranæ.
 Ipse seras propria nexas virtute resolvit,
 Et sprevit vanæ sedulitatis opus.
 Jam quoque terrarum nigris exire cavernis
 Gens Patriarcharum, sancta caterva, parat.
 His penetrat domitas Christus comitantibus umbras,
 Sidera qui, frustra morte latrante, petunt.
 Resplendentque nova vestiti carne, beatis
 Admori, Christo conciliante, locis.
 Ergo serenata vos sistite fronte, fideles!
 Cura nec angustas lancinet ægra fibras.



Quippe agitur res vestra, ad vos solatia spectant:

Vos recreare cohors hæc rediviva cupit.

Sicut ad ætherias, pia gens, tellure revulsa

Evchitur sedes, carne potita nova:

Sic morte extinctos, mundi veniente ruina,

Reddet terra suos, reddet & unda suos.

Quam non tunc vestrum radiare putatis honorem,

Inter ut exiles, sidera magna, faces!

Terra tremens motu nobis quoque vellicat aurem,

Et nos immemores non finit esse sui.

Prima recollectæ Christus spiracula vitæ

Exhalat, terræ concuciturque sinus.

Abstrusæ radix Dominum profitetur abyssi,

Signaque lætitiæ qualiacunque dedit.

Sæpius exoptans, ut sit sibi copia fandi:

At sibi non linguam rhetoris esse videt.

Ergo DEUM, qua parte potest, celebrare laborat:

Estque paroxysmis officiosa suis.

Quid tamen ulterius sibi vult quassatio terræ?

Certe evangelico servit imago sono.

Quippe per expansum sonus hic si tenderet orbem,

Vult motus animi significare pios.

SURREXIT CHRISTUS. Reputandi denique restant,

Arduus implicitos quos sibi casus habet.

ALIGERI, quorum tanta est præstantia formæ,

Ut quasvis vatam transgrediatur opes.

Illa DEO gens est alias studiosa juvando:

Illa piis quavis auxiliatur ope.

Jamque triumphanti spontanea munera Christo

Exponunt, si quo forsân haberet opus.

Hinc remouent saxum, quo suscipione carerent,

Quæ mox de Christo verba profunda forent.

Alterâ

Altera pars hominum, vita testante, bonorum
 Collecti a Christo membra fuere gregis.
 Præluce MATRUM pietas, onerata manipulis
 Messis aromaticæ, quam Nabathæa tulit.
 A putrore volunt corpus defendere Christi:
 Membraque vermiculis ludificanda negant.
 Sed dum carnivoris mens est occurrere blattis,
 Proxima putrore verminat ipsa fides.
 Quæ tamen, angelica mox voce resecta, virorem
 Sumit, & arcano lumine foeta nitet.
 Laude coronari debet quoque cura VIRORUM,
 Qui tremulo gressu mœsta sepulcra petunt.
 Nubilus at quamvis emigret vultus ad urnam:
 Attamen innubis lætificusque redit.
 Insolitus dubias, ut opinabantur, ad aures,
 Quem plorent Christum vivere, rumor iit.
 Fidere fama jubet, mœror diffidere dictis:
 Non dubitare putant & dubitare nefas.
 Instigant sese 'confusis vocibus: imus!
 Subscribens placitis alter: eamus, ait!
 Dum tamen interea luctantur pectore, Petrus:
 Audet nemo viam sternere? solus eo.
 Ipse vadit, videt ipse DEUM, solatia carpit
 Tum sibi, tum reliquo communicanda gregi.
 Tandem sunt homines vulpem sub corde tegentes,
 Qui famæ technas cudere mille student.
 Conveniunt, pavidi voces in murmura cogunt:
 Confirmat miles, quid faciamus, idem?
 Unanimi tandem coalescunt fraude sodales:
 Præcidunt linguam militis, are dato.
 Perpluit hinc veri leges argenteus imber:
 Emto custodum claudicat ore fides.



SURREXIT CHRISTUS: læto concludimus ore:

Hoc festus recoli vult idioma dies.

VOS, quos hunc animis juvit lustrare triumphum,

Spes patriæ, JUVENES, VOS quoque pauca velim.

Surgite cum Christo! vitam, quæ proxima morti est,

Exuite, ac habitu condecorate novo.

Expergiscimini! mores sepelite protervos,

Quasque libido vibrat prava, domate faces.

Vita, modo reputate, quid est *Academica?* punctum,

A quo disponunt damna salusque vices.

Luxu qui *vernans* petulanti decoquit *horas*,

Luctu *brumales* transigit ille *dies*.

Qui gnavus sancte juvenilibus utitur annis,

Illi canities non gravis esse potest.

Jam cordis tenero mandatis femina fundo:

Qualia quisque feret, talia quisque metet.

Pendet ab hoc æterna salus, quo degitis ævo:

O felix animam qui colit hocce *suam!*

Ætas nulla magis virtutibus apta colendis,

Quam quæ vernantis nobile nomen habet.

Sit satis ergo putri scelerum tepuisse veteros:

Vos, ut *surgatis*, tempora verna monent.

Vos ad *surgendum* Paschalia festa laceffunt:

Hæc monet officii pagina quemque sui.

Non, nisi post multis scelera enervata triumphis,

Conducens vobis iste triumphus erit.

Surgite! curta quidem, tamen omnia continet in se

Vocula, quæ vestri muneris esse queunt.

E gremio terræ quondam revocabimur omnes:

Qui bene surrexit, surget & ille bene!

P. P. in Academia Fridericiana in ipso salutiferæ Resurrectionis se-

sto. anno M DCC XVIII.




Ja 1586

ULB Halle 3
001 508 687


St. 201

VON





Inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

57

PROGRAMMA METRICUM,

QVO

ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ

PRO-RECTOR,

D. IO. PETRUS

Ludewig /

SERENISS. BORUSSIÆ REGIS CONSILIAR. REGIM. ET AUL.
NEC NON JURIS AC HISTOR. PROFESS. ORDIN. UTI ET TA-
BULARII DUC. MAGDEB. PRÆFECTUS,

UNA CUM PROFESSORIBUS RELIQUIS,
CIVES ACADEMICOS

AD CHRISTI E MORTE RESUSCITATI MEMO-
RIAM SANCTE RECOLENDAM
AMICISSIME COHORTATUR.

lh.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typ.

